

ANDREAS SAMPERS

Circa convocationem Patrum trans Alpes degentium
ad Capitula generalia ann. 1793, 1802, 1817, 1824, 1832
quaedam notitiae et documenta

Eodem anno 1785, quo in Scifelli Capitulum generale Congregationis in Statu Pontificio exsistentis habitum est (1), et fortasse ipso tempore adunationis congressus (2), Patres Hofbauer et Hübl in Austria profecti sunt. Postero tempore, sed ante an. 1855, quando primitus Capitulum generale Romae celebratum est, alia quinque Capitula generalia universae Congregationis habita sunt in Pagani. Praesentantur hac brevi communicatione quaedam notitiae circa convocationem Patrum trans Alpes degentium ad haec Capitula.

Inquisitionem instituimus ad magis dilucidandam rationem agendi Auctoritatis supremae Congregationis versus confratres transalpinos. Iam alia non pauca vulgata sunt in his foliis, quae caritatem, benevolentiam ac sollicitam curam Superiorum Maiorum in Pagani erga socios extra Italiam degentes illustrant. In iudicio ponderato de hac re ferendo semper ratio habenda est condicionis loci et temporis minus propitiae, quae impedimento erat assiduae et promptae communicationis per epistulas atque itinera ab utraque parte suscipienda molestissima reddebat.

(1) Tabulam Capitulorum generalium CSSR dedimus in *Spic. hist.* 3 (1955) 308-312.

(2) Capitulum generale in Scifelli celebratum est diebus 15 X - 3 XI 1785; cfr *ibid.* 310.
« Ende Oktober mag es gewesen sein, als Hofbauer mit Hübl wieder nach Norden zog ».
J. HOFER, *Der hl. Clemens M. Hofbauer*², Freiburg/Brsg. 1923, 46.

Capitulum generale an. 1793

Exstat rescriptum S. Congregationis Episcoporum et Regularium (3), secundum approbationem datam a SS.mo D.no Pio Papa VI in audience die 7 dec. 1792 huius Congregationis secretario (4) concessa, quo Capituli generalis celebratio mandatur in Pagani die 1 martii 1793 «cum dispensatione intimationis et interventus vocalium Domus Varsaviensis» (5). Haec rescripti concessio conformis est consilio Cardinalis Francisci Carrara (6), Ponentis in negotio unificationis amborum CSSR ramorum, in Statu Pontificio et in Regno Neapolitano ab an. 1780 separatim exsistentium. Card. Carrara nempe in ultimo paragrapho relationis suae diei 4 dec. 1792 proposuit (7) :

Dovrà avere l'avvertenza d'impetrare dalla Santità Sua il permesso di convocare il Capitolo senza l'intervento dei Vocali del Collegio di Varsavia, recentemente eretto (8), giacché è impossibile che que' Religiosi, in tanta lontananza, possano intervenire al detto Capitolo.

Consilium suum Cardinalis Carrara repetiit a pro-memoria, quod P. Ioannes Mazzini (9) libello supplici, S. Congr. Episc. et Regul. porrecto (10), adiunxerat (11). Hoc scripto quaedam puncta notantur in rescriptum inserenda, i.a.: 3°. «Che non osti alla le-

(3) Rescriptum vulgatum est in opere *Acta integra Capitulorum generalium Congr. SS. Red. ab an. 1749 usque ad an. 1894 celebratorum*, Romae 1899, 86 n. 237. - Rescriptum originale, actibus Capituli unitum, conservatur in AG III C 59. Copia antiqua conservatur in AG III A 25. Copia authentica minutae rescripti, ex Arch. Vat. desumpta, habetur in AG III A 26 d.

(4) Secretarius S. Congreg. Episc. et Regul., qui rescriptum subscribit «Julius M^a Patr^a Antioch.us», est Exc.mus Iulius Maria della Somaglia, postea (1 VI 1795) Cardinalis. - Cfr RITZLER-SEFRIN, *Hierarchia catholica medii et recentioris aevi VI* (1730-1799), Patavii 1958, 87 et 38 n. 73.

(5) Curiositatis causa notatur quod verba quae praecedunt: «cum interventu, etiam cum jure suffragii, Delegati Domorum Siciliae», in copia minutae rescripti linea subducta sunt. Ratio probabiliter est, quia innovationem denotant quoad eos qui ius habebant Capitulo generali interveniendi.

(6) Em.mus Franciscus CARRARA, *5 XI 1716 Bergamo, Card. creatus die 14 II 1785, † 26 III 1793 Romae. - Cfr *Hierarchia catholica VI* 35 n. 43.

(7) Copia authentica relationis, ex Arch. Vat. desumpta, conservatur in AG III A 26 b.

(8) Fundatio Varsaviae incepit an. 1787.

(9) Ioannes Mazzini, Vicarius generalis CSSR in Regno Neapolitano existentis post obitum Rectoris Maioris Andreae Villani (11 IV 1792); † 3 XII 1792 Pagani. - Cfr *Spic. hist. 2* (1954) 25.

(10) Libellus supplex, ante diem 16 nov. 1792 S. Congregationi praesentatus, editus est in opere *Acta integra Cap. gen. CSSR* 85. - Copia authentica, ex Arch. Vat. desumpta, conservatur in AG III A 25 b.

(11) Copia authentica huius «pro-memoria», ex Arch. Vat. desumpta, conservatur in AG III A 25 c.

gittimità del Capitolo il non intervenirvi alcuno dalla Casa di Varsavia ».

In epistula diei 11 ian. 1793 P. Franciscus De Paola, Superior Generalis CSSR in Statu Pontificio exsistentis, cuius iurisdictionis erat domus Varsaviae, P.i Hofbauer notitiam Capituli proxime habendi dedit; sed nullam convocationem adiunxit (12). Quod tamen fecerat P. Isidorus Leggio, tunc Consultor P.is De Paula (13), epistula diei 29 dec. 1792 (14), modo autem quodam insolito. Nuntio initii Capituli pro die 1 martii (15) 1793, virtute rescripti diei 7 dec. 1792, addidit :

En conséquence vous devez aussitôt envoyer un ordre par lequel votre très Révérend en qualité de Recteur députera le R.P. Jean-Bapt. Pandullo (16)... Vous devez donc envoyer un simple mandat de procure, que vous accompagnerez d'une lettre, où vous manifesterez vos désirs.

Certe P. Hofbauer Capitulo non interfuit et de procura, alii Patri dato, nihil in Capituli actibus ceterisque documentis inveniatur. P. Pandullo in Capitulo comparuit, tamquam vocalis domus de Spello (17). P. Hofbauer tamen quaedam postulata in Capitulo proponenda transmisit, uti desumimus ex epistula P.is Leggio ad ipsum, die 12 martii 1793, dum gerebatur Capitulum, scripta (18).

Capitulum generale an. 1802

Postquam « dispaccio » diei 16 ian. 1802 consensus regis neapolitani Ferdinandi IV Capitulum generale convocandi communicatus fuerat (19), Rector Maior P. Blasucci die 29 ian. seq. Ca-

(12) Epistula edita est in collectione *Monumenta Hofbaueriana VIII*, Torún 1936, 24, ex versione gallica quae in Arch. Nat., Lutetiis Parisiorum, conservatur. - Cfr etiam epist. diei 24 VIII 1792, *ibid.* 22 n. 21.

(13) Isidorus Leggio ann. 1785-1793 Consultor Superioris Generalis fuit, ann. 1781-1785 fuit Procurator generalis (ann. 1783-1785 etiam Consultor). - Cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 254 n. 81.

(14) *Mon. Hofb.* VIII 29 n. 31.

(15) In editione cit.: « le 1^{er} mai ». In copia manuscripta epistulae, ex Arch. Nat., Paris, desumpta, conservata in AG IX D: « le 1^{er} mars ».

(16) PANDULLO Ioannes Bapt.; *19 III 1740 Neapoli; *vest.* 28 VIII 1783 domo S. Iuliani Romae (iam clericus 43 ann.), *prof.* 25 XII 1783 *ibid.* (« con far seguitare il restante della probazione giusta il rescritto del P. R.mo Sup. G.le »); e Congregatione expulsus declaratus in consultatione generali die 27 VI 1798. - Cfr Cat. I 37; Cat. VI 2 et 7; *Libro delle consulte generali, 1783-1859*, 17^a; KUNTZ, *Commentaria X* 443 et XIV 211 (ponit expulsionem erronee in die 3 VII 1798).

(17) *Acta integra Cap. gen. CSSR* 89, 94.

(18) *Mon. Hofb.* VIII 30 n. 32.

(19) Documenta circa consensum regium conservantur in AG IV C 35.

pitulum pro die 1 iunii convocavit. Litterarum circularium diei 29 ian. 1802 duae formae exstant; una longior, cum inserto «di-spaccio» diei 16 ian. (20), altera brevior (21). In ambabus epistulae formis expresse dicitur: «intimiamo colla presente circolare a tutte le Case della nostra Congregazione (22) esistenti in questo Regno di Napoli, nello Stato Pontificio e nella Sicilia la convocazione di detto Capitolo generale»; domus Varsaviae exsistentis non fit mentio. In animadversionibus contra epistulas circulares, probabiliter a P.e Francisco De Paola factis, notatur, etiam in Polonia esse Congregatos qui vocem in Capitulo habent (23).

Sed iam die 8 ian. 1802 P. Blasucci notitiam Capituli habendi die 1 iunii in Pagani P.i Hofbauer communicaverat, addens:

cumque pro illius validitate requiratur, ut omnibus et singulis nostrae Congregationis sacerdotibus professis, sive praesentes sint sive absentes, qui de iure et ex Regulae praescripto ius habent suffragii, literis convocatorii intimetur, ut quilibet rector (24) cum socio, si legitime impeditus non fuerit, interesse valeat; Hinc est, quod praesentibus literis nostro satisfacere muneri volentes, vobis omnibus, qui tam dissitas incolatis regiones et inter Fratres nostros jure merito computamini, praedictum Capitulum generale, die et loco supra designatis celebrandum, intimamus et notum facimus. Volumus autem, ut sine mora notificetis nobis harum litterarum acceptiōnem, earumque toti communitati simul collectae lectionem per superiorem factam. Quodsi nemini vestrum accessus ad Capitulum permittitur, pro legitime impeditis excusatimini (25).

Uti patet, hac epistula Patres trans Alpes degentes claris

(20) Litterae circulares in forma longiori editae sunt in opere *Acta integra Cap. gen. CSSR 189-190.* - Adumbratio et exemplar nitidum, ambo a P.e Blasucci m.p. scripta, conservantur in AG IV C 36. Ibi etiam exemplar scriptum a secretario Rectoris Maioris, Innocentio Franchini (Franchini fecit professionem ut frater laicus die 24 IV 1793, postea ut chorista die 13 I 1817; sacerdos consecratus est die 5 IV 1817).

(21) Litterae circulares in forma breviori, latine versae, editae sunt in opere *Documenta miscellanea ad Regulam et Spiritum Congregationis nostrae illustrandum*, Romae 1904, 201-202. - Exemplaria conservantur in AG IV C 36 et in AG XXXVII B II 10.

(22) In exemplari litterarum circularium in AG XXXVII B II 10 conservato, Patribus domus in Pagani inscripto: «a tutte le nostre Case della Congregazione». Versio latina, in opere *Documenta miscellanea vulgata*, ab hoc exemplari facta est: «omnibus nostris domibus Congregationis».

(23) Hae animadversiones conservantur in AG IV C 37. Probabilis ratio, cur convocatio in litteris circularibus non extendatur ad Congregatos in Polonia degentes, datur a L. Dankelman in *Spic. hist. 2* (1954) 201.

(24) Rector domus Varsaviae tunc erat P. Thaddaeus Hübl; vide statum personalem die 15 II 1802 redactum in *Mon. Hofb. II*, Torún 1929, 41-42. - P. Hofbauer erat Vicarius generalis, sed ratione huius qualitatis iure Capitulo interveniendi non gaudebat; cfr expositionem P.is Dankelman, qui in *Spic. hist. 2* (1954) 201-203 argute respondit ad quaestionem: an S. Clemens ius Capitulo an. 1802 assistendi haberit.

(25) Epistula edita est in opere *Mon. Hofb. VIII* 96-97. In AG IX a 1 conservatur minuta a P.e Blasucci m.p. scripta.

terminis et formaliter ad Capitulum convocantur. Quod confirmatur etiam notitia a tergo minutae apposita, quae eius argumentum reddit: «Literae Warsawiam missae pro Capit. G.li» (26).

Die 31 martii P. Hofbauer Rectori Maiori respondit, se epistulam die 18 martii accepisse eamque eodem die communitati recitasse. Certe epistula a confratribus Varsaviae tamquam convocationis formalis ad Capitulum generale interpretata est, sicut elucet ex responso:

Utcumque desiderio quam maximo tenemur eidem Capitulo assistendi,... tamen quoniam a tali susceptione edicto regio prohibemur, pro legitime impeditis censeri debemus et consequenter a comparitione in Capitulo merito excusandi sumus (27).

Capitulum generale an. 1817

Die 14 iulii 1817 Capitulum convocatum est a Vicario generali Nicolao Mansione (28) in die 14 sept. seq.: «intimiamo a tutte le Case della Congregazione esistenti in questo Regno di Napoli, nello Stato Pontificio e nella Sicilia la convocazione del detto Capitolo» (29). Domorum trans Alpes existentium mentio non fit in his litteris circularibus, et recte quidem, quia an. 1817 communitates religiosae secundum Congregationis Regulas formatae nec in Polonia (30), nec in Austria (31), nec in Helvetia (32) existebant.

Ad cautelam tamen P. Mansione P.i Giattini, Procuratori generali CSSR, mandavit, ut Auctoritatem Romanam interrogaret, quid agendum esset circa convocationem Patrum trans Alpes degentium (33). Die 9 sept. P. Giattini quaestionem Summo Ponti-

(26) Haec notitia apposita est a P.e Blasucci m.p.

(27) Epistula edita est in opere *Mon. Hofb.* VIII 97. - In AG IX a 1 conservatur originalis epistula a P.e Hofbauer m.p. scripta, cui P. Blasucci a tergo m.p. addidit: «Risposta di Varsavia per lo Capitolo Generale».

(28) Nicolaus Mansione, Vicarius generalis CSSR post obitum Rectoris Maioris Petri Blasucci (13 VI 1817) usque ad electionem in Rectorem Maiorem, die 26 IX 1817. - Cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 34.

(29) Litterae circulares diei 14 IX 1817 editae sunt in opere *Acta integra Cap. gen. CSSR* 207. - Exemplar originale, domui in Gubbio missum, a P.e Mansione m.p. scriptum, conservatur in AG VI A 3.

(30) Circa Patres tunc in Polonia in dispersione degentes, vide notitias P.i.s C. Szrant in *Spic. hist.* 7 (1959) 124 ss.

(31) Vide epistulam P.i.s Sabelli Vindobonae datam die 3 V 1817 ad P.em Blasucci, transcriptam in *Spic. hist.* 7 (1959) 55-57.

(32) De condicione Congregationis in Helvetia hoc tempore, cfr Th. LANDTWING, *Die Redemptoristen in Freiburg in der Schweiz, 1811-1847*, Roma 1955, 9 ss.

(33) Epistulam P.i.s Mansione non invenimus.

fici Pio VII proposuit eodemque die responsum P.i Mansione transmisit (34) :

Viva G.M.G.

R.mo Padre

Non prima di questa mattina ho potuto proporre al S. Padre l'affare de' nostri Tedeschi secondo m'incaricò V.R. nella precedente sua; ed eccone la risposta.

Uniformandosi al mio sentimento che non facendo più corporazioni (35), né per conseguenza avendo più Superiori locali, né [potendo] venir' all'elezioni di Vocali, né comodo e libertà di venire, non vi era necessità d'intimarli il Capitolo e ch'a cautela dispensava, come Pio VI vi dispenseò per il Cap.lo Gen.le del 1793.

Serva ciò a V.P.R. ed a tutti d'avviso, mentre caramente abbracciando La con essi Le bacio le sante mani e sono

Di V. P. R.ma.

Div.mo obb.mo Servid. e Frat. in G.C.
Vincenzant. Giattini del SS. Red.

Roma, 9 Settembre 1817

Inscriptio a tergo:

Al R.mo Padre Vicario Gen.le
Il P. D. Nicola Mansione del SS. Red.
Napoli per Pagani
S. Michele

Notitiae a tergo appositae:

a P.e Mansione: « Per li PP. di Varsavia ».

a P.e Petro Marolda, Capituli generalis secretario: « Si è assicurato il Cap.lo in questa lettera che il Papa dispensa, quatenus opus, i Padri di Varsavia dall'intervenire al Cap.lo Gen.le » (36).

Die 17 sept. P. Mansione epistulam P.is Giattini in Capitulo exhibuit, cuius summarium in acta insertum est a secretario P.e Marolda (37).

Capitulum generale an. 1824

Epistula diei 16 dec. 1823 Vicarius generalis Iosephus Di Paola communicavit P.i Passerat mortem Rectoris Maioris Nicolai

(34) Epistula P.is Giattini conservatur in AG VI A 5.

(35) I.e. communitates religiosae formatae.

(36) P. Giattini in epistula loquitur de Congregatis Germanicis (« i nostri Tedeschi ») et in notitiis a tergo appositis sermo est de Patribus Varsaviae. Agitur, ut patet, in genere de confratribus trans Alpes degentibus.

(37) *Acta integra Cap. gen. CSSR 213 n. 520.*

Mansione (13 XII 1823) atque suam designationem in Vicarium generale (38). Insuper ei dedit notitiam Capitulum generale habendum esse eumque ad illud invitavit (39) :

E' invitata cotesta comunità di avvalersi del proprio diritto d'intervenire Vostra Paternità Rev.ma, il Rettore ed un Vocale eletto dal Capitolo della comunità, come sta espresso nella parte III, c. 1, n. 9 della Regola. - Nel caso poi che non stimate di venire, dovere mandare la rinuncia vostra, quella del Rettore e quella della comunità. E può anche la comunità eleggere il P. Springer che si trova qui (40).

Iam die 4 ian. 1824 P. Passerat in epistula P.i Springer missa praeresponsum invitationi dedit (41) :

Uebrigens wünschen wir (42) wohl sehr, persönlich an dem zu haltenden Capitel Antheil nehmen zu können, was jedoch schwerlich geschehen können wird. Indessen wollen wir die Sache noch recht reiflich überdenken und berathsenschlagen.

In nota subter epistulae textum apposita P. Springer animadvertisit, die 2 febr. P.em Di Paola litteras suas circulares, quibus Capitulum ex officio indixit, Vindobonam misisse (43). Hisce litteris Vicarius generalis adiunxit notitiam, electionem P.is Springer esse possibilem, de qua re tamen vellet accipere formalem declarationem (44).

Die 20 ian. P. Passerat certiorem redditum P.em Di Paola, Patres Vindobonae non posse intervenire Capitulo (45) :

Con molto desiderio vorremmo essere presenti al Capitolo G.le, ma le

(38) Epistula edita est in *Spic. hist.* 9 (1961) 189-190.

(39) Notetur hac epistula etiam ipsum P.em Passerat fuisse invitatum ad Capitulum; ratio huius invitationis nequit esse alia quam quia munere superioris maioris Patrum trans Alpes degentium fungebatur. - Capitulum tamen animadvertisit ius assistendi secundum Regulam solis Rectoribus et Vocalibus, a communitatibus electis, competere, minime vero Vicario generali Transalpino qua tali. *Acta integra Cap. gen. CSSR* 256.

(40) P. Franciscus Springer a mense iulii 1823 in Pagani degebatur, eo missus a P.e Passerat ad regularem observantiam genuinam secundum constitutiones et consuetudines CSSR addiscendam, quo exemplo vita religiosa confratrum trans Alpes esset instauranda. De missione P.is Springer eiusque exsecutione cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 302-303, 4 (1956) 387-390, 9 (1961) 166 ss.

(41) Epistula edita est in *Spic. hist.* 9 (1961) 190-192.

(42) Vocabulum «wir» (nos) certe non interpretandum est ut pluralis maiestaticus, quo nunquam utitur P. Passerat in suis epistulis. Denotat universe Patres Vindobonae.

(43) Litterae circulares diei 3 II 1824 editae sunt in opere *Acta integra Cap. gen. CSSR* 247-248, et latine versae in opere *Documenta miscellanea* 219-221. - Exemplar originale, collegio in Pagani datum, conservatur in AG VI C 21.

(44) Nota P.is Springer transscripta est in *Spic. hist.* 9 (1961) 192.

(45) Epistula transscripta est *ibid.* 196.

circostanze politiche non lo permettono. Neppure posso lasciare il P. Springer sino a Maggio nell'Italia, a motivo della sua salute che sembra d'essere sempre più debole. Detto Padre spiegherà a V. P. Rev.ma, come le leggi qui ci difendono (46) rigorosamente qualunque comunicazione coll'estero.

Sequenti sua epistula diei 2 martii P. Passerat desiderium expressit, ut P. Springer procuratores vice Patrum Vindobonae ius Capitulo interveniendi habentium constitueret (47); id quod P. Springer fecit duabus epistulis Anconae datis die 3 maii ad P.em Sylvestrem Izzo (48) et die 4 maii ad Capitulum (49). Quia tamen procuratores constitui deberent ab ipsis ius Capitulo assistendi habentibus, i.e. a Rectoribus et Vocalibus a communitatis electis, Capitulum designationem procuratorum a P.e Springer factam ratam non habuit (50).

P. Ioannes Biedrzycki, Rector domus de Valsainte, Helvetia (51), et P. Martinus Schöllhorn, Rector domus de Bischenberg, Francia (52), pro seipsis et implicite pro communitatibus (53) iuri Capitulo assistendi renuntiaverunt. Circa procuratores constituentes in eorum epistulis non fit mentio.

Capitulum generale an. 1832

Litteris circularibus diei 30 oct. 1831 Vicarius generalis Blasius Panzuti Capitulum generale die 24 maii seq. in Pagani habendum indixit (54) et paulo post, die 8 nov., aliis litteris circularibus, lingua latina scriptis, sociis Congregationis extra Italiam

(46) *Difendono*: vietano, interdicono; ob similitudinem cum vocabulo francogallico *défendre*.

(47) Epistula transcripta est in *Spic. hist.* 9 (1961) 198.

(48) Epistula conservatur in AG VI C 27 e.

(49) Epistula conservatur in AG VI C 27 f; edita est in opere *Acta integra Cap. gen. CSSR 271-272*.

(50) *Acta integra Cap. gen. CSSR* 256 n. 587.

(51) Epistula diei 9 IV 1824 transcripta est in *Spic. hist.* 9 (1961) 199-200.

(52) Epistula diei 1 V 1824 transcripta est *ibid.* 200-201.

(53) In ambabus epistulis Rectores declarant se esse legitime impeditos Capitulo interveniendi; de Vocali a communitate electo eiusque renuntiatione non loquuntur. Quia rationes adductae utpote interventum impeditentes etiam pro aliis Patribus valent, supponi licet Capitula domestica ad Vocales constituendos non esse habita. In Chronicis domorum Friburgensis et Bischenbergensis notitiae circa Capitula domestica non invenimus. Attamen pro primis annis sunt potius historiae postea conscriptae quam chronica coeva; hac de ratione varii eventus mentione digni non commemorantur.

(54) Editae sunt hae litterae in opere *Acta integra Cap. gen. CSSR* 277-280, et latine versae in opere *Documenta miscellanea* 271-277. - Exemplaria conservantur in AG VIII A 2 a et in AG XIV D.

degentibus eundem nuntium dedit (55). Cum epistula diei 15 nov. P. Panzuti litteras circulares P.i Passerat transmisit, domibus in Austria communicandas (56). Friburgum et Olisiponem litterae directe missae fuerunt.

Habita sunt Capitula domestica tam in domibus Congregationis in Italia (57) quam extra Italiam (58) exsistentibus, ad Vocalem Capitulo generali mittendum eligendum. Enumerabimus Capitula domestica extra Italiam secundum normas in litteris circularibus diei 8 nov. 1831 communicatas instituta cum eorum exitu, sicut in acta authentica relata sunt :

Vindobona. - Capitulum domesticum institutum est die 16 dec. 1831, praesente P.e Passerat, qui primus acta subscriptis; adfuerunt 28 Patres (59). - In 9^o scrutinio cum votis 16 vocalis electus est P. Fridericus von Held (60).

Frohnleiten. - Capitulum domesticum institutum est die 16 dec. 1831; adfuerunt 6 Patres. - In 1^o scrutinio cum votis 5 vocalis electus est P. Iosephus Puz.

Die 3 apr. 1832, duabus declarationibus ab omnibus communitatibus Patribus subscriptis, Rector Franciscus Doll et Vocalis Iosephus Puz iuri suo Capitulo generali interveniendi renuntiarunt.

Mautern. - Capitulum domesticum institutum est die 2 ian. 1832; adfuerunt 8 Patres (61). - In 1^o scrutinio cum votis 6 vocalis electus est P. Sebastianus Kiesel.

Die 20 ian. 1832, duabus declarationibus ab iisdem 8 Patribus subscriptis, Rector Paulus Heinzl et Vocalis Sebastianus Kiesel iuri suo Capitulo generali interveniendi renuntiarunt.

Innsbruck. - Capitulum domesticum institutum est die 28 martii 1832; adfuerunt 5 Patres. - In 1^o scrutinio cum votis 4 vocalis electus est P. Carolus Welsersheimb.

Die 29 martii 1832 Rector Leopoldus Michalek declarationem dedit, se iuri suo Capitulo generali interveniendi renuntiare.

Friburgum.. - Capitulum domesticum institutum est die 8 febr. 1832;

(55) Editae sunt litterae diei 8 XI 1831 in hoc fasciculo, supra pp. 21-27.

(56) Edita est epistula diei 15 XI 1831 in hoc fasciculo, supra pp. 27-31.

(57) Conservantur documenta in AG VIII A 3 a.

(58) Conservantur documenta in AG VIII A 3 b.

(59) Loco 150 inter subscriptiones P. Passerat m.p. subscriptis: « Pro : P. Felix Prexl CSSR ».

(60) Rector collegii Vindobonae, Franciscus Kosmacek, et Vocalis Fridericus von Held Capitulo generali interfuerunt. Circa difficultates in obtainenda licentia itineris ab auctoritate publica austriaca, cfr Hosp, *Erbe* 258-259, et epistulam P.is von Held ad P.em Sabelli diei 21 III 1832, cons. in AG X B 19.

(61) Duo Patres, Fridericus Schuh et Iannes Reindl, dimorantes in Aussee, die 30 XII 1831 declarationem dederunt, se Capitulo domestico intervenire non posse.

ad fuerunt 10 Patres (62). - In 1º scrutinio cum votis 6 vocalis electus est P. Franciscus Hofbauer (63).

P. Hofbauer iuri suo Capitulo generali interveniendi statim renuntiavit, maiore Patrum praesentium numero annuente, et procuratorem suum constituit P.em Ioannem Sabelli (64).

Olisipone. - Capitulum domesticum institutum est die 2 apr. 1832; ad fuerunt 6 Patres. - « Quaestio primum decidenda erat, an necessarium sit bono que privato domus nostrae conveniens, ut cum RP. Joanne Pilat, Rectore locali, sacerdos quoque vocalis mittatur...; quaestio demum pluralitate trium votorum contra duo eo decisa est ut RP. Joannes Pilat, Rector localis, solus vadat, sine sacerdote vocali ».

Rumillies (in Belgio). - Capitulum domesticum institutum est die 17 martii 1832 (65). - Vocalis electus est P. Ioannes Kaltenbach (66).

In epistula P.i Panzuti data, quae diem scriptionis non habet appositorum, Rector Martinus Schöllhorn et Vocalis Ioannes Kaltenbach iuri Capitulo generali interveniendi renuntiaverunt (67).

Conclusio

Quoad invitationem Patrum trans Alpes degentium, ut Capitulis generalibus ann. 1793, 1802, 1817, 1824, 1832 in Pagani celebratis intervenirent, haec statuere possumus, comprehendentes nostram inquisitionem.

Ad Capitula generalia ann. 1793 et 1817 non fuerunt invitati. Utraque vice ab Auctoritate Romana dispensatio intimationis data est; an. 1793 in rescripto diei 7 dec. 1792, an. 1817 in audientia SS.mi diei 9 sept.

Ad Capitula generalia ann. 1802, 1824, 1832 Patres extra

(62) Die 30 XII 1831 P. Aloisius Czech, Rector domus Friburgi, P.i Panzuti dubium proposuit, an PP. Schweißgut et Schöllhorn, a mense oct. in Belgio degentes, Friburgensi communitatibus adhuc adscripti esse censeri deberent. Die 18 I 1832 P. Panzuti respondit, illos Patres non amplius Friburgensi domui pertinere. - Epistulae conservantur in AG. X A 47.

(63) Cfr LANDTWING, *Die Redemptoristen in Freiburg* 120.

(64) P. Sabelli iam ab anno 1822 inter fratres neapolitanos degebat; ann. 1819-1822 adscriptus fuerat collegio in Valsainte, Helvetia. - Cfr Spic. hist. 2 (1954) 298-299, etiam 9 (1961) 154 ss.

(65) Initium domus in Rumillies in duobus ultimis catalogis generalibus CSSR impressis (*Cat. 1955*, p. 126; *Cat. 1960*, p. 63) indicatur: 17 III 1832. Illo die Patres, qui iam a mense nov. 1831 sedem in Rumillies habuerunt, aliam domum in eodem vico eorum usui accommodatam inhabitare coeperunt. - Cfr *Chronica Provinciae et Collegiorum [Prov. Belgicae]* I 40.

(66) Notitias circa hoc Capitulum domesticum, cuius acta non invenimus, ex epistula PP.um Schöllhorn et Kaltenbach, mox citanda, desumimus.

(67) Subter inscriptionem a tergo adiuncta est notitia: « Durch Güte dem P. Czech SS. Red., Rector zu Freyburg, einzuhändigen ». Ut videtur, P. Czech epistulam secum portavit ad Capitulum.

Italiam degentes debito modo fuerunt invitati. An. 1802 S. Clemens pro communitate Varsaviae renuntiationem misit. An. 1824 nemo ex transalpinis venire potuit et procura duobus Patribus italis data, defectu formae regularis, a Capitulo rata non est habita (68).

An. 1832 in 7 domibus extra Italianam exsistentibus Capitula domestica sunt instituta (69). Quattuor Rectores (Frohnleiten, Mautern, Innsbruck, Rumillies) et quattuor Vocales (Frohnleiten, Mautern, Friburgum, Rumillies) iuri Capitulo generali interveniendi renuntiarunt, quorum unus debito modo procuratorem constituit (Friburgum); Olisipone vocalis non fuit electus. Intervenerunt Capitulo generali an. 1832 ergo ex transalpinis: tres Rectores (Franc. Kosmacek, Vindobona; Al. Czech, Friburgum; Ioan. Pilat, Olisipone) et duos Vocales (Frid. von Held, Vindobona; Car. Welsersheimb, Innsbruck), insuper procurator Vocalis Friburgi (Ioan. Sabelli, iam inter fratres neapolitanos degens). Hi omnes absque minima difficultate cum pleno iure tamquam membri Capituli generalis admissi sunt (70).

(68) Erronea notitia invenitur in Codice documentorum in archivio Prov. Belgicae, Bruxelles, conservatorum, qui habetur in archivio generali, vol. I p. 154-155: «Les P.P. Transalpins, n'ayant pas encore de résidence officiellement reconnue, ne furent pas admis à siéger dans ce chapitre [de 1824]. I.e R.me P. Joseph Passerat envoya cependant pour représenter les Transalpins le R.P. Springer, homme de beaucoup d'esprit et grand prédicateur; mais sa procurature ne fut pas acceptée».

(69) Domus in Bischofshof an. 1820 incepta, an. 1831 ab auctoritate publica suppressa fuerat. - Cfr *Spic. hist.* 14 (1966) 277 et supra p. 33.

(70) Mira certe est notitia circa Capitulum generale an. 1832 in opere *Chronica Provinciae et Collegiorum [Prov. Belgicae]* I 27-28: «Quamvis vi Regulæ omnes Rectores ad Capitulum convenire debeant, nullus Rector transalpinus, excepto Patre Pilat, superiore collegii Ulissiponensis, Nuceriam petit. Alii Rectores vota sua duobus deputatis PP. Czech et de Held commiserunt. Hi a Capitularibus cisalpinis admissi sunt, quod an. 1824 Patri Springer, transalpinorum deputato, vi legum regni [neapolitani] fuerat denegatum».